[7

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
SYPHILIDIS
CURATIONE ANTIPHLOGISTICA;

QUOD,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL HILL,
ANGLUS,
COLLEGII REGALIS CHIRURGORUM LONDINENSIS SOCIUS,
NECNON SOCIETATIS MEDICI APUD PORTSMOUTH SOCIUS HONORARIUS;
NUPER LEGIONIS LXXI VELITUM,
NUNC AD COPIAS IN BRITANNIA SEPTENTRIONALI
CHIRURGUS VICARIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

VIRO SPECTATISSIMO

JACOBO McGRIGOR, EQUITI M. D.

TURRIS ET ENSIS EQUITI MANDATORI,

S. R. S.

EX MEDICIS REGIS BRITANNICI,

EXERCITATUS BRITANNICI

MEDICO SUMMO PRÆFECTO;

OB BENEFICIA PLURIMA IN SE COLLATA:

NECNON,

VIRO EGREGIO

JOANNI THOMSON, M. D. S. R. S. E.

IN ACAD. EDIN. CHIRURG. MILIT. PROFESS. REG.

COPIARUM BRITANNICARUM

E CHIRURGIS,

OB MONITA EJUS UTILISSIMA DUM MUNERIBUS

IN VALETUD. MILIT. EDIN. MEDICIS SIMUL FUNGEBANTUR,

OBQUE MULTA BENIGNITATIS OFFICIA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

QUÆ COLLOCAVIT;

HOCCE OPUSCULUM,

ANIMI IN UTRUMQUE GRATISSIMI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

Quod qui imitari volet, exemplum habet, præceptum non habet ; neque enim edocti docemus hæc, sed experti monemus.

ULRICHUS de HUTTEN, *De Morbo Gallico*, cap. x.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

SYPHILIDIS

CURATIONE ANTIPHLOGISTICA.

Auctore SAMUELE HILL.

OPINIONES variæ atque controversiæ quas medici subinde sustineri solent, de veritate quarundam sententiarum, sæpe ad inquisitiones impellunt, quarum exitus iis qui easdem persequantur, perutiles sunt, et nonnunquam ad utilitatem communem admodum proficiunt.

Syphilidis curatio citra hydrargyri usum, quæ per quinquennium elapsum multorum attentionem chirurgorum militarium, et serius quoque

nauticorum, occupavit, effectus edidit, qui spei hactenus satisfaciunt, atque iis qui hanc medendi viam secuti sunt multum arrident.

Hæc inquisitio, quam adhuc exsequuntur medici, quædam aperuit, per se alicujus momenti, quæ quanquam non multum notitiæ, de Syphilidis natura jam comparatæ, adjiciunt, docent tamen hydrargyrum, etsi in quibusdam rebus et exemplis salutare sit, non prorsus ad morbi medelam necessarium esse, necnon, quantum ex multorum exercitus experientia medicorum per quinque annos colligi potest, omnes Syphilidis formas, eo remedio non omnino adhibito, sanari posse.

Ex quo tempore hoc malum primum in Europam, ad seculi quinti decimi finem, advectum est, cerneri licet plurimum attentionis medicinam exercitantium, et subinde populi etiam sibi vindicasse, non modo ob effectus pestiferos quos eo potissimum tempore et postea sæpenumero præstitit, sed etiam ob varias controversias, quas medici moverunt de hujus morbi natura, deque remediis aliis, quæ temporibus aliis ad malum sistendum aut submovendum, præstantissima habita sunt.

Quamvis ex remediis tentatis unumquodque invicem suo tempore laudem haud parvos vires et potestates habendi, aut ad leniendum aut ex toto tollendum effectus Syphilidis pestiferos, retulit; nullum tamen eorum tam sæpe aut usque eo hanc famam attigit, aut tamdiu obtinuit quam hydrargyrus, cujus potestates antisyphiliticæ laudibus efferuntur ab haud paucis inter veteriores et pene omnibus recentioribus, qui de hoc malo scripserunt. Plures quidem fatentur perniciosos hujus medicamenti effectus; at usque ad paucos dehinc annos uno ore omnes consenserunt, vires specificas ad Syphilidis medelam habere.

Ex doctissimo autem ASTRUCIO discimus, controversiam de hydrargyri utilitate in hoc malo seculi decimi sexti initio motam fuisse, atque eo tempore multos viros peritissimos magnopere noxium esse sentisse.

Per annos quatuordecim mihi fides usque addita est Syphilidem non penitus e corpore sine hydrargyri ope submovendam esse, et, pene finito MDCCCXVI usque, eo remedio in omnibus hujus morbi exemplis utebar. Mense Decembri ejus anni ad eam curandi rationem tum primum vi-

sam dedi operam, quam nunc cum effectibus ejus mihi animus est in hocce opusculo exponere: eo autem tempore hodie usque hæc curatio adeo prospere processit, ut adductus sim in eadem perseverare, atque in præsentia deposui magnam ejus fiduciæ partem quam prius in hydrargyri profectu et necessitate ad syphilidem sanandam reposueram; et donec, conspectis indiciis et sequelis in quovis hoc modo curato æque gravibus ac quæ vidi in exemplis ubi adhibitus fuerat hydrargyrus, mihi persuasum fuerit curationem Syphilidis simpliciter antiphlogisticam a sanitate aut salute eorum, qui meæ permissi fuerint curæ, abhorrere, credo summo jure mihi licere in eadem medendi via perstare.

Generalem historiam hujus curandi rationis in iis qui sub mea cura habiti sunt, cum rebus factis, quas interea vidi, atque animadversionibus quæ in mentem venerunt, sub his capitibus expositurus sum; primum, de descriptione et curatione indiciorum primariorum; deinde, eodem modo de secundariis agam; postremo, animadversiones opinionesque de profectu.

DE VITIIS PRIMARIIS.

PRIMARIA Syphilidis vitia eos effectus locales significant, qui, viro Syphilidis pestifero aliquæ corporis parti admoto, primum concitantur: quum autem id plerumque inter concubitum admovetur, genitalia morbi sedes esse solent.

Per hos solos effectus, (ni malum in utero receptum est), fieri potest ut corpus implicetur.

Hi effectus sunt Gonorrhœa, et Ulcus, sive quod Anglice "*Chancre*," nominatur; necnon, si aliis credimus, "*Bubo*;" alii autem arbitrantur hunc affectum medium quasi indicium esse inter partis vitium et corporis morbum.

De malo primo posito nil amplius dixere volo quam quod celeberrimus HUNTER credebat eandem habere naturam quæ Syphilis, quanquam eam aliter curaret, et quod BENJAMINIO BELL persuadebatur a viro diversi prorsus generis oriri.

Transeo igitur ad ea quæ dicenda sunt de Ulcere, sive quod Anglice "*Chancre*" nominatur.

Quarundam notarum concursus in ulcere alicujus genitalium partis, quod post concubitum impurum erupit, apud auctores ulcus syphiliticum ab omni alio distinguere habetur; hæ notæ a HUNTERO expositæ sunt, atque ab eo aliisque multis peritissimis pro certis minimeque fallacibus ulceris veri venerei indiciis ducebantur.

Quanquam autem non de HUNTERO sine maxima observantia loquar, et ingenium animique dotes admiror, quibus ille res naturæ et morborum phænomena scrutatus est, non possum tamen, cum multa etsi verecundia non quædam proferre quare credam eum, in eo quod de ulceris syphilitici notis dixit, aliqua saltem parte errasse, atque ex auctoritate ejus famæ nominisque nimium fidei opinionibus et dictis, quæ pro veris protulit, datum esse.

Hæ notæ autem, quas ille veras ulceris syphilitici habebat, mihi falsæ videntur, quia non ex toto huic ulceris generi propriæ sunt, neque in hoc semper inveniuntur.

Primo enim ulcera in genitalibus ab aliis causis atque infectione syphilitica orta subinde, imo sæ-

pissime, ea plus minusve præ se ferunt quæ ulceri vere syphilitico propria existimata sunt.

Deinde ulcera in naturalibus ab immundo coitu orta aspectum ostendunt alium in aliis hominibus, et simul in aliis ejusdem hominis partibus pro partis partiumve fabrica quibus sita sunt, et pro ætatis, temperamenti, proclivitatis habitusque hominis ratione, et prout malo implicitus munditiam plus minusve antea excoluerit aut neglexerit.

Tum ea ulcera, quæ eum notarum concursum habent quo ulcus syphiliticum insigniri dicitur, etsi eadem bubones aut comitati aut secuti sunt, quales citra hydrargyrum submoti fuerunt; non sola post se perpetuo trahunt totius corporis malum.

Porro, ulcera post concubitum impurum orta, qualia omnes aspectus indolisque varietates præbeant, a simplici elevato ad ulcus excavatum et induratum cum inæqualibus eversisque oris, subinde videntur totius corporis habitum postea afferre, etsi multis in exemplis, hæc ulcera bubo neque comitatus neque secutus est.

Ulcera præterea naturalium, sive a concubito immundo sive a quavis alia causa orta, mutare aspectum indolemque reperiuntur inter curandum, pro corporis natura, proque irritatione totius corporis, quæ urget, aut ejus irritationis modo, quæ interdum in parte affertur ex quibusdam remediis ulceri admotis.

Postremo, rebus quibusdam adurentibus aut exedentibus illatis, aut ulceribus parum profundis aut excoriationibus obscœnarum partium, aut abscessibus phlegmonoideis in pus abeuntibus, in quovis ex his ulcusculis, excoriationibus aut abscessibus, a qualibet alia causa quam infectione syphilitica ortis, harum notarum quæ ulceri vere syphilitico propriæ esse dicuntur, plures paucioresve in quibusdam hominibus excitari queant.

Si hæc igitur quæ jam exposui vera sunt, inde sequitur ulcera a coitu impuro orta tot diversis causis variari, sicut corporis constitutione, habitu, temperamento, aëre, intemperantia, munditiæ observatione aut ejusdem negligentia, aliisque similibus, atque ex harum omnium effectu, tot alios aspectus induere, ut difficillimum sit recte judicare utrum necne revera syphilitica sint.

Ubi sita in eadem fabrica aut in aliis ejusdem hominis fabricis, hæc ulcuscula sæpe alias atque alias species reddunt, et in pluribus exemplis mihi contigit videre a quinque ad septem in eodem homine ulcera, quorum singula (quod ad indolem spectat) ab aliis distabant.

Cui causæ igitur hæc varietas est attribuenda? An actioni plurium diversorum virorum, an viri syphilitici soli actioni?

Si viri syphilitici actioni soli attribuenda est, notæ, quibus diagnosis fieri dicitur, falsæ atque inutiles sunt.

Si actioni virorum diversorum; quomodo illud ulcus, quod a viro syphilitico affertur, ab aliis internoscendum est?

Si hæ ulcera, quocunque sint aspectu, post se totius corporis affectum trahunt, judicare licet, ut mihi videtur, a syphilide profecta esse; at donec effectus eorum in corpore animadversi fuerint, distinguere non facile possumus ea inter et ulcera quæ syphilitica non sunt.

Haud incredibile est pene omnis ulceris aspectum ab aliis causis nati (eo quod a varicibus ori-

tur excepto), a syphilitico ulcere subinde repræsentari.

Ex eo affirmare minime volo, omnia ea ulcera, quæ mihi contigit videre et curare, revera syphilitica fuisse, nec possum pro certo affirmare quot ex iis ejusmodi fuerint; at ex iis quæ tractavi, numero ducentis triginta novem, nemo certe negabit nonnulla saltem ejus generis fuisse, quum præsertim aliquæ, (novemdecem scilicet), postea attulerunt indicia leniora quidem similia tamen iis affectibus totius corporis, qui in iis exemplis inciderunt, ubi hydrargyrus ad submovendum primarium malum adhibitus est; et quanquam omnium exitus idem erat (quippe omnia citra hydrargyrum sanata fuerunt) id quod inde colligam; non minus, ut opinor, verum videbitur.

Prout exempla ostendebant plura pauciorave eorum quæ pro veris syphilidis notis Hunter aliique exposuerunt, redigi in ea quæ indolem rite veneream et in ea quæ eandem non habebant, atque indicavi quot utriusque generis essent, et quot et quales essent totius corporis affectus qui utriusque ulcerum generis exciperent.—Vide *Tabulam Generalem in Appendice.*

DE CURATIONE ULCERIS PRIMARII.

In ejusmodi casu prima omnia sunt quies et abstinentia.

Celsus, *de Medicina,* lib. vi. c. vi. § 1.

Primarii ulceris curatio ratione antiphlogistica peragenda est, ut in malo in parte tantummodo posito et omni actione specifica vacuo.

Hæc autem curatio generalis vel specialis est.

Quatuor sunt observationes omnino necessariæ in ea parte quam curationem generalem nomino.

Primo, ægrotantem se lecto continere per omne prope tempus quo curatur. Deinde per primam hebdomadam, sive donec omnia inflammationis indicia conquieverint, et vitia primaria ad sanitatem spectaverint, omnem cibum ex carne confectum prohiberi, et postea etiam exiguam tantum copiam concedi. Tum, quoties inflammatio aut magna diathesis phlogistica urgent, sanguinem liberaliter mitti, iterum iterumque pro indiciorum natura atque magnitudine, proque ægrotantis ætate et viribus, præsertim si hanc corporis con-

ditionem aut bubo, phymosis, paraphymosis, phagedena aut gangræna comitentur.

Postremo, alvum aliquo ex salibus mediis, pulvere jalapæ composito, aut oleo ricini solvi, in unoquoque qui, ut curetur, veniat, atque id semel bisve hebdomade aut sæpius repeti, quo is alvi torpor, qui ex quiete oritur, prohibeatur.

Quam opus sit ut hæc rite observetur, nimium monere non possumus; sæpe enim vidi ulcus, quod, ægro in plano cubante, et victu tenui utente, ad sanitatem pervenerat, in pejus versum paucis horis postquam ille erectus sedere inciperat, atque æque brevi spatio ad sanam conditionem rediisse ubi iterum recubuisset.

Idem quoque nonnunquam accidit ex nimis celeri diætæ mutatione, aut ex nimio carnis concesso, et, ea remota, curatio iterum commode processit.

DE PRIMARII ULCERIS CURATIONE LOCALI.

Curatio primarii ulceris localis eadem generali ratione absolvenda est, qua ulcera nullam specifi-

cam actionem habentia curantur, et maxime modo antiphlogistico.

Siquando, quum primum visa sunt ulcera primaria sordent, squamis crustisve teguntur, aut magnam duritiem aut inflammationem circa habent, cataplasma vulgare emolliens per primum biduum triduumve plerumque iis optime convenire reperietur.

Remotis squamulis crustisve aut duritie circa vel inflammatione minore facta, ulcera perpetuo tegenda sunt linteolis aliqua ex iis lotionibus madefactis; lotio liquoris plumbi aut zinci sulphatis, sulphatis cupri, in ratione gr. ss. ad aquæ unciam; aqua calcis; lotio nigra ex aquæ calcis lbj. et submuriatis hydrarg. ʒj. confecta; lotio ex acido nitrico multum diluto, vel aqua pura, &c. &c. Sed per aliquod tempus non magni interest, quo lotionis genere adjuventur; tamen majoris momenti est, ut lotio aliqua perpetuo et assidue super ea teneatur: ea enim ulcera, in quibus, si cætera paria erant, ad hanc observationem maxime attentum est, celerrime, ut videbatur, ad sanitatem perducta fuerunt.

Hæ linteolæ sæpe mutandæ sunt omni hora, aut etiam frequentius; effectus enim ex toto locales sunt; minime oportet ulcera arescere aut linteola humore evaporato, iis adhærescere.

Si ulcus aut ulcera a parte præputii exteriore aut in penis corpore sita sunt, præter aliquam ex jam dictis lotionibus, penis circumdanda est panno ex lotione saturnina aut aqua frigida expresso, aut linteum aliquo unguento simplice oblitum super id, quod nigra lotione aut quavis alia madefactum fuit, imponendum est; quod vaporatione celeri prohibita, partes tenet humidas, ex quo minus sæpe opus est ut linteola mutentur.

Ubi ulcera a parte exteriore præputii, aut circa ejus oram sunt, et secum aliquam ejus membranæ inflammationem afferunt (quod in iis ita sitis plerumque fit), ex qua causa phymosis sæpissime incidit, magni interest ea, quantum fieri potest, ab urinæ contactu defendere, quæ sanitatem impedit et malum protrahit.

Hoc optime efficitur, linteolo quavis ex supra memoratis lotionibus madefacto, inserendo inter penis glandem et præputium, parte linteoli super eam membranam retracta.

In ulceribus ita positis opus est, ut sæpius linteolæ renoveantur.

Quoties inflammato præputio, humor subtus fertur, credibile est unum plurave ulcera in superficie ejus interiore aut glande aut prope eam sita esse, et aliqua ex lotionibus supra positis eam inter et præputium infusa, proficere reperietur; partes quoque plices lini lotione saturnina humefacta circumdandæ sunt, usque dum præputium satis facile huc illuc transeat per glandem, et ulcera in conspectum veniunt, ita ut curentur.

Si curatio antiphlogistica tum localis tum generalis ad plenum adhibita est, raro necesse erit ut in phymosi ad ferrum confugiamus.

Paraphymosis unus est ex iis affectibus syphilidem comitantibus, qui ægrotantis intemperantia aut munditiæ negligentia sæpe oriatur. Hoc vitium, quod non opus est ut hic explicem, exiguo chirurgi negotio nec magno laborantis tormento citra ferrum sublevari plerumque potest. In hoc casu salutare erit fomentis calidis aut cataplasmatis emollientibus uti, quo inflammationis augmento occurramus, aut ei, quæ jam urgeat, submovemus.

DE ULCERE PRIMARIO CUM PHAGEDÆNA.

Ulcus primarium simul cum phagedæna, sive ulceratio cui sphacelus adjectus est, aut idiopathice aut ab ullo stimulo vel irritatione, sive generali sive locali, nasci potest.

Compertum autum est id minus sæpe incidere, ubi hydrargyrus non adhibitus est.

Hoc ulcerationis genus tam bene ab eloquenti auctore CELSO explicatum est, ut nil opus sit ut aliquid ejus verbis adjiciatur, quo conjunctum etiam viro syphilitico aut eodem variatum exponatur *.

Qùum autem ejus exempla subinde conspiciuntur, ubi homo aliquamdiu malum neglexerit, et simul intemperantiæ indulserit aut fatigatione se oblatus sit, quædam de ejus curatione subjicere volo.

Hæc ulceris primarii forma omnium gravissima est; hujus in causa esse corporis proprietas cre-

* CELSUS, de Medicina, lib. v. cap. 28. § 3.

dita est aut cœli sub quo degit æger, aut aëris conditio vitiata, qualis homines in arctis et male ventilatis cubiculis plerumque circumdat.

Inter cunctos medicos hodie constat hydrargyrum in hac saltem syphilidis forma plurimum nocere.

In iis exemplis, paucis quidem, in quibus ad hoc malum proclivitas erat, sanguis modice e brachio missus, et loci mutatio aut in alium cubiculum, aut etiam in eodem cubiculo, videbantur efficere ut ea proclivitas corrigeretur. In tribus quidem exemplis hujus mali, quæ forte vidi sub cura amici mei Doctoris Mahony, illius cohortis, (the 7th Fusileers), in Nosocomio Militari ad Castellum Edinburgenum, sanguis in uno quoque homine ad uncias quadraginta vel quadraginta-quinque simul missus est; postquam amplam sanguinis jacturam omnis irritatio febrilis conquievit, et phagedænæ notæ ex toto decesserunt in ulceribus, quæ in omnibus exemplis magna erant.

Hæc potius mira exempla sunt quorum mentionem feci nullo alio consilio, nisi ut indicem quatenus sanguis tuto sub arctis rebus detrac-

tus sit ad hanc mali formam vincendam, minime quod inde præcipere volo eo usque plerumque mitti oportere, sed ut appareat non deterrendum esse, ne hoc valido auxilio utamur ad formam mali periculosam compescendam, falso timore inde infirmitatem afferendi exhauriendique ægrotantis vires.

Id mihi non omnino indignum attentione videtur, pulsus, qui ante missum sanguinem, exigui, frequentes, contractique esse solebant, perpetuo, detracta magna sanguinis copia, majores, tardiores et pleniores evasisse; quum autem simile hujus rei exemplum, quantum ad pulsus attinet, in gastritide et enteritide præbetur, nonne analogice colligere licet, hunc affectum inflammationem magnam habere?

Optima ratio generalis, quæ missioni sanguinis accedit, proclivitatem ad phagedænam compescendi aut corrigendi, mihi esse videtur, ut aër purus liberaliter in laborantis cubiculum ferretur, ut id, si fieri potest, mutetur pro altero in contraria ædificii parte, ut victu leni nutriente utatur, utque in aquam marinam, sive frigidam, sive tepidam, prout anni tempus, descendat.

Ut medici sæpe variant auxilia quibus in hoc ulceris genere uti volunt, ubi citra syphilidem ortum est, ita necessarium quoque erit crebro remedia topica commutare et ad nova confugere, ubi simul cum labe syphilitica existit; nullum enim aliud malum est, nisi fallor, cui gens humana obnoxia est, quod (si ita loqui liceat) magis malignum et inconstans est quod ad effectum spectat remediorum, quam illud ulcerationis genus de quo nunc agetur.

Ex iis quæ maxime salutaria fuerunt memorasse volo, dauci carotæ cataplasma, lotionem nigram, ex aqua calcis et submuriate hydrargyri confectam, solutiones argenti nitratis, cupri sulphatis, tincturam myrrhæ, acidum nitricum dilutum, cataplasmata conii maculati, unguenta resinosa cum oleo terebinthina.

Submovere quoque ulceris oras ferro aut forfice, ubi denticulatæ aut eversæ sunt, sæpe multum proficit.

Hanc curationem a Celso præceptam esse reperio, quamvis non de ea dixit, ubi phagedæna curationem exposuit *.

---

* Celsus, *de Medicina,* lib. v. cap. xxvi. § 33.

Gangrænosa inflammatio cum ejus sequelis, ulcus primarium aliquando infestet, ubi id non hydrargyro curatum est.

Plerumque ab iisdem causis, quæ phagedænam movent, proficisci conspicitur, nonnunquam ab injuria externa affective: ex ulla harum causarum idiopathica existere potest. Eodem modo curanda est ac phagedæna citra syphilidem orta.

Regimen antiphlogisticum videtur maxime expedire ut proclivitati gangrænosæ cito occurratur.

Sanguinis detractio tum generalis tum specialis magnopere adjuvare comperta est, nec minus in hoc malo convenire quam in illo de quo jam actum est.

Exempla perpauca mali hujusmodi inciderunt inter eos qui sub mea cura habebantur, et in iis ad gangrænam proclivitas a negligentia et intemperantia nata esse videbatur.

In uno exemplo, ubi res minus prospere cedebant, homo per dies quadraginta duas sub curatione detinebatur, et in eo carnis jactura non tanta erat quanta primo expectabatur.

DE BUBONIBUS.

Inflammatio alicujus ex glandulis lymphaticis concitari causis variis potest, et minime perpetuo, (ut quibusdam persuasum est), ex viro syphilitico absorpto nascitur: hoc enim vitium afferri potest ulla mechanica irritatione, non secus ac irritatione specifica in vasis lymphaticis quæ ad eas glandulas adeant.

Bubonis hujusmodi exempla in militibus post longa itinera sæpenumero conspiciuntur.

Levis cruris aut pedis inflammatio, cuticula nulla abrasa, continuitate prorsus integra, hoc vitium sæpe concitat; quod igitur non pro nota, qua ab aliis affectibus Syphilidis internoscatur, est habendum; quanquam negari nequit id crebro huic morbo se comitem jungere aut inde nasci. Sive tamen Syphilide, sive ex alia quavis causa alatum est, æque submoveri potest regimine antiphlogistico, eoque multo breviore spatio quam cum ex opinione mali ab actione specifica pendentis, hydrargyrus usurpatus est. Ubi simul

cum bubone ulcera in ulla penis parte sunt, haud incredibile est ex viro venereo ortum esse; non tamen judicandum est hanc rem id extra omne dubium aut etiam magnopere testari.

Inflammatio quæ bubonem comitatur longioris naturæ quam quæ phlegmona, esse videtur, et idonea curatione repelli sæpe potest, nonnunquam tamen in pus abit.

Ex ducentis triginta novem cujusque ulceris generis exemplis me tractatis, centum et tria aut simul bubones habebant aut post se trahebant. In nonaginta quinque ex hoc numero bubo ante accessit, in octo postquam laborantes in valetudinarium recepti erant.

In exemplis octoginta tribus in uno tantum inguine, in viginti in binis inguinibus, bubo ortus est. Ex toto numero sexaginta et unus resoluti sunt, et quadraginta duo in pus abierunt.

De Bubonum Curatione.

In bubonum curatione, hydrargyro sublato, sanguinis jactura, tum generalis tum specialis, salutaris, et crebro necessaria reperietur.

In primis bubonum diebus, et etiam postquam inflammatio perstitit et ad suppurationem aliqua parte tendit, indicia in paucis exemplis submota fuerunt ex pressione diu glandulæ affectæ admota, præsertim si sanguinis missio cum alvi plena solutione prius adhibita est.

Pressio æque æqualiterque fieri potest, per totam partem inflammatam, lapelli plani et rotundi aut ovalis ope aut æris plumbive frusti, mole et figura ad id aptis.

Alterutrum stuppa linteove involvendum, atque fascia lintea vel lanea in figuram cylindri (ut fit) circumvoluta parte diliganda, quæ autem ita adegenda est, ut alternatim femur et ventrem circumdat, atque ad inguen sive recta super partem comprimendam decusset.

Utile erit has partes relaxare femur ad ventrem flectendo, dum fascia admovetur, quæ, extenso iterum artu, satis inguen compremit, aliter sæpe laxum fit, et adeo cum majore ægrotantis incommodo, consilium frustratur.

Dolor primo vehemens est, et plus vexat quo major inflammatio est ; sed hic dolor cito quiescit, nec redit.

Si non, ut solet, prodest, aliquando necesse est, ut pressionem per aliquot horas intermittamus; admota enim iterum, sæpe melius proficit.

Lotiones saturninæ quæque vaporatione refrigerant, ad bubones discutiendos magnopere proficiunt.

Epispastica quoque expediunt quoties bubones languescere aut solito longiores esse videnter, imprimis si diathesi strumosa variantur.

Quum jam quævis ratio ex his tentata est, nec bubonum suppuratio prohibita fuit, cataplasmata emollientia, et fomenta calida admota, ad id conducere reperientur: absorptio ejus fit ubi minime expectatur.

Si hæc proclivitas ad absorptionem non intra diem unam alteramve postquam fluctuatio sentitur animadversa est, quo citius abscessus aperiatur eo melius est, modo satis attenuati sunt parietes. Bubo optime aperitur, sicut opinor, potassæ fusæ ope, et sæpenumero prius magna materiæ in vacculo contentæ pars absorbetur, quam crusta inde orta separata fuit, et, crusta separata, ulcus restat, quod plerumque sanescit nec sinus habet, aut eos effectus postea affert, qui haud raro

hydrargyro adhibito, infestant. Apertura caustico facta, eo arctior esse debet quo minor bubonis moles.

Eadem localis curatio in bubonibus patefactis adhibenda quæ in ulceribus primarii generis præcepta est: at monere licet bubones, ubi in ulcera abierunt, facilius pati, ut emplastri adhæsivi frustula cum pulvinari et fascia usurpentur, quo auxilio citius sanescunt.

Quod attinet ad ulcera primarii generis ratione qua supra expositum est, curata, indicandum est,

Primo, Ea minime videri in pejus abire, sed plerumque, prima hebdomade finita, duritiem, inflammationem quæ circa est, et aspectum sordidum decedere.

Deinde, Ea non videri eo citius ad integritatem pervenire quo pauciores notas ostenderint, quales veram syphilidem insignire habita sunt.

Tum, rarissime fieri, ut latius tendant aut ad gangrænam phagedænamve spectent.

Porro, spatium, quo ad medelam opus est brevius longiusve esse pro eorum numero, magnitudine atque inflammatione vicina, proque attentione

aut negligentia hominis ante inceptam curationem, necnon pro corporis habitu et constitutione.

Tempus quod ad ulcera cum et sine bubonibus conjuncta sananda necessarium fuit, raro aut nunquam dierum viginti tres spatium superire videbitur.

Tum demum animadversum esse quoties plura ulcera a tribus nimirum ad septem in eodem homine erant, eorum maximam partem eodem fere tempore sanatam esse, dum unum alterumve perstitit, aut etiam paulo in pejus ruit, sed hoc in iis incidit in quibus diathesis præcipue strumosa existebat.

Quæritur, an ea ulcera quæ in his exemplis diutius perstiterunt, sola syphilitici generis essent, et si cuncta ejus generis erant, quare fieret ut pleraque citius quam alia ad integritatem pervenirent?

Ulcera quæ citra hydrargyrum curata sunt, non tantum ad cicatricem cum duritice formandum tendunt, quantum ea, in quibus id remedium adhibitum fuit, nec postquam integra facta, adeo facile recrudescunt, nisi a negligentia munditiæ

aut vestium frictione, quod pariter ex quavis alia curatione fieret.

Postremo, submotis ulceribus aut bubonibus, hac medendi ratione, homines, qui laborabant in ea valetudine sunt, ut protinus solita vitæ studia persequantur, etiamsi ea fatigationi aut cœli mutationibus illos objicerent, quod, ut opinor, vix tuto liceret, si per breve quidem spatium hydrargyrum assumissent.

De bubonibus eadem ratione curatis, hæc dicere fas est.

Primo, Potius raro fieri ut inter ulcera hoc modo curata bubones accedant, quippe ex ducentis triginta novem exemplis hominum ulceribus affectorum, in octo tantum bubo ortus est postquam in valetudinarium recepti fuerunt, et in iis plerisque malum prius neglectum erat.

Deinde, Bubones qui ulcera plene insignitis syphilidis signis notata comitati aut excepti fuerunt, non sanatu difficiliora quam alia visa esse, et plerumque impromptu decesisse, quando curatio mature incepta fuit.

Tum, Siquando in suppurationem desinunt, non in magnum prius increscere, quam pus formatum est, necnon sinus raro nasci.

Porro, in iis (nempe quatuordecem) in quibus diathesis strumosa major erat, bubones tardius discussos esse.

Denique, Bubones, quales in pus abierunt et potassa patefacti sunt, post crustam exutam, cito generaliter mundos fieri, et brevi spatio commodo sanescere.

Exempla bubonum erant cito in pus abientium in quibus diathesi strumosa manifeste imbutis, ubi ad ea sananda, temporis spatium solito longius occupatum esse videbatur.

Tempus, quod ad bubones in resolutionem, et in pus, abeuntis, sanandas, necessarium fuit, fere intra dierum triginta spatium esse observatur.

DE AFFECTIBUS SECUNDARIIS.

Effectus quos in totum corpus virus syphiliticum edit, ubi etiam hydrargyrus usurpatus est, formas adeo diversas induere dicuntur, ut haud nimus difficile sit eos ab aliis vitiis, ullis notis iis propriis internoscere, quam ea indicare quibus ulcus vere syphiliticum dignosci potest; ut dicit Stru-

THIUS: "Quum enim hic morbus non sit unus simplex, sed ex pluribus simplicibus, unum illi genus subalternum dare non potest, nec definitio una, sed descriptio potius *."

In animo est igitur indicare eos affectus qui indicia primaria exceperunt, in exemplis quæ sine hydrargyro ope ipse curavi, eaque exponere quæ plerumque in hominibus eodem modo curatis conspiciuntur.

Indicia quæ in toto corpore apparent, ubi primarium sive locale vitium naturæ permissum, aut citra hydrargyrum curatum est, in duos ordines diducere licet, sive in ea quæ vitium locale aliquando aut comitantur, aut statim eo submoto, accedunt, inque ea quæ, longiore spatio elapso postquam decessit locale vitium, sese ostendunt.

Fieri potest ut hæc indicia post sex hebdomadas, aut post tot menses incidant.

Prioris ordinis vitia sunt:

1. Erythematici aut aphthosi faucium affectus.
2. Cutis eruptiones.

---

* J. STRUTHIUS de Morbo Gallico apud Luisinum, p. 955.

Alterius ordinis.

3. Iritis, sive iridis inflammatio.

4. Periostitis, aut periostei inflammatio.

Faucium affectus sunt inflammatio erythematica, excoriatio aut aphthæ membranæ mucosæ quæ pharyngem, amygdalas, uvulam, velumque obtegit.

Cutis affectus similes sunt, quod ad eorum naturam spectat, iis vitiis, quæ hanc fabricam aliis ex causis infestant, et sub his quinque Doctoris Willan ordinibus redigi possunt:

Papulis nimirum, squamis, exanthematis.

Pustulis, tuberculis.

Ex papulis sunt lichen et strophulus.

Ex squamis, psoriasis guttata, et lepra vulgaris.

Ex exanthematis, roseola, et scarlatina.

Ex pustulis, variola, et echthyma.

Ex tuberculis, acue indurata, et ea vitii forma a Doctore Bateman animadversa, et ab eo, in tomo 5to libri cui titulus est *Medico-Chirurgical Transactions* exposita est. Hæc incidere possunt aut simul cum faucium affectu, aut sine eo, atque eum aliquando febricula et obtusi et vagi faucium, capitis artuumque dolores, aut

antecedunt, comitantur aut excipiunt; necnon eorum multa subinde in eodem homine simul videntur, aut alia aliis superveniunt, eo quem jam exposui ordine.

Quantum vero ipse vidi, non animadverti ullum ulceris genus post se semper trahere aut plerumque ullam quandam eruptionem.

Ex quinquaginta exemplis et uno vitii primarii in quo pleraque signa quæ vere syphilitice habentur, sese ostendebant, indicia secundaria quatuor secuta sunt; in uno, scilicet, Ecthyma, cum faucium inflammatione erythematica; in altero tuberculum, cum tali affectu; in tertio ecthyma sine eodem; in quarto aphtha, nulla eruptione

Ex centum octaginta et octo exemplis vitiorum primariorum in quibus pauciora vel nulla erant signorum quæ veram syphilidem testari putantur, indicia secundaria quindecim exceperunt; in quatuor, nimirum, lichen, uno, cum faucium inflammatione erythematica; in duobus, strophulus, cum eodem faucium affectu; in tribus pustulæ, quorum in uno ecthymatis forma erat; in duobus reliquis varioloidæ, in altero quorum fau-

cium affectis cum nodis, in altero iritis; in tribus exanthema, roseola, scilicet, cum faucium erythemate; in duobus tuberculæ, nullo faucium affectu; in uno faucium affectus aphthosus, sine eruptione.

Hoc loco animadverti oportet, quamquam in paucis ex exemplis supra memoratis, indicia secundaria quibus laboraverunt ægrotantes tam lenia fuisse, quam vix notatu digna erant, attamen candor me movet, omnia, quamvis huic medendi rationi non omnino favere haberetur, exponere.

Tempus post primaria sublata, quo supervenierunt signa secundaria, inter viginti quinque et septuaginta septem dies fuisse visum est, et eorum curatio spatium collatum (Anglice *Average*) circiter triginta dies occupavit.

DE CURATIONE AFFECTIONUM QUÆ IN CORPORE PONUNTUR.

De Faucium Affectibus.

Quum jam vitia primaria submota fuissent, modo quem supra exposui, inflammatio, quæ ad-

venit, sive affectus aphthosus faucium levis est, et gargarismis leviter acidis aut astringentibus adhibitis, et emplastro vesicatorio faucibus externis applicato. cito cedet.

Si eundem irritatio febrilis aut artuum dolores obtusi vagique, aut antecesserunt aut comitantur, quod interdum fit, sanguinis detractio, pro indiciorum magnitudine et ægrotantis viribus, habitu et corporis constitutione, plerumque proficit.

Diaphoretica ex antimonio confecta, aut si dolores urgent, anodyni generis, balneo calido subinde et nonnunquam quotidie adhibito, utilissima et sæpe necessaria sunt ad irritationem minuendam.

In quibusdam excoriationis exemplis, aut ulcerationis parum profundæ, aut crustis aphthosis separatis, solutiones cupri sulphatis, aut aluminis sulphatis in cinchonæ decocto, adhibitæ, aut sulphas cupri solidus, aut argenti nitras, parti affectæ admotus, aut acidi nitrici diluti gargarismus, brevi secundos sæpe præstant affectus.

De Cutis Affectibus.

Quum primum eruptio in cute apparet, postquam primaria signa submota sunt, nullo hydrargyro adhibito, difficillimum judicatu est quo genere ea futura sit; ea enim quæ primo papulis videatur, haud raro abit in vesiculas, pustulas, squamas aut tubercula, quin et in eodem homine naturam ex his quatuor quas dixi formis mixtam ostendit.

Quum etiam fit nec raro ut eruptio in aliis post alias partibus appareat, eadem eruptio alia conditione alioque tempore haud raro hunc aspectus mutationem perhibebit, ita ut facile credatur diversas esse eruptiones.

In uno hujusmodi exemplo iritis accidebat, et hæc symptomata ulcere exiguo parumque profundo a parte præputii interiore supervenerunt.

Nonnunquam irritatio febrilis aut etiam febris accessio, eruptiones aut antecedit aut comitatur; sed eruptionis severitas non animadvertitur perpetuo, aut plerumque magna esse, pro febris quæ antecesserit vehementia: in duobus tamen tribusve exemplis eruptiones (pustulæ, scilicet, et

roseolæ) quæ secutæ sunt, magnæ erant pro ratione febris prægressæ.

In aliquot exemplis dolores vagi et obtusi artus, aponeuroses, et tendines expansos infestantes, etsi non in ulla certa parte incidentes, rheumatismo tamen similes, in aliis eruptionem antecesserunt, in aliis eandem exceperunt: hos dolores languor et infirmitas plerumque comitabantur, et ante eruptionem vehementius urgebant.

Eadem medendi ratione instituta, quam ubi de faucium affectibus agebatur, exposui, res æque prospere cesserunt.

In squamis et tuberculis, ubi magnus cutis pruritus erat, unguentum picis, cui unguentum hydrargyri nitratis mitius adjectus erat, multum proficit.

In eruptione pustulari (echthymate), sulphatis cupri solutio et simplex mite unguentum, cum magno profecto adhibebantur, quoties a frictione ulcerationis metus erat.

De Iritide.

Quanquam plura hujus mali exempla sub aliorum cura vidi, necnon nonnullos eodem affectos

ipse curavi, in quibus non pro certo ad infectionem syphiliticam referri potuit, in uno tantum ex iis syphilidis exemplis, quæ a me sine hydrargyri ope curabantur, observatum fuit. Et in hoc exemplo affectus excepit ulcus, parum profundum a parte præputii interiori situm, quo perstanti inflammatio faucium erythematica erat, septuaginta septem diebus postquam sanatum fuit *.

Per dierum quinquaginta quinque spatium antequam iritis invadit, homo doloribus articularum, præcipue talorum, qui tum credebantur ex rheumatismo esse, in valetudinario exercebatur, atque duodecim diebus antequam iris inflammatione implicata est. Eruptio, primo papulosa, quæ deinceps ostendebat vesiculas, pustulas, et demum tubercula, febre trium dierum haud parva prægressa, cum epigastrii dolore, advenit: hæc

---

* Intra duodecim abhinc menses tria iritidis exempla vidi, in hominibus plane strumosa diathesi præditis, quorum duo neque gonorrhœa neque syphilide laborarant; necnon plura ejusdem conspexi, et nonnulla curavi, in quibus malum vitia primaria syphilidis, quæ hydrargyro sanata erant, secutum fuerat, et in his omnibus vitium, nullius hydrargyri ope, sublatum est.

per aliquod spatium adeo variolam referebat, ut ni ægrotantis facies quam maxime hujus morbi reliquies fœda esset, id esse malum facile credisset.

Ex eo autem quod hæc eruptio per plures dies in aliis post alias maculas sese ostenderet, quodque omnino spatium quinquaginta quatuor dierum perstaret ante ex toto decesset, inflammatione iridis comite, ratio est cur credamus hæc mala simul urgentia a syphilide orta fuisse.

Larga sanguinis detractione, generali æque et speciali ; alvum per salina dejiciendo, Belladonnæ extractum, et fomenta calida anodyna, primis diebus admovendo, dein aquosam et vinosam opii tincturas, sulphatis zinci et cupri solutiones in oculum bis terve in die guttatim infundendo, hic affectus viginti dierum et sex spatio submotus fuit : eruptio quæ ad finem in tubercula cessit, longius perstitit. Homo, de quo loquor, quum se frigori imbrique mense Decembri incaute objecisset, eruptionem pustularem ei qua antea exercitus erat similem, diebus viginti duobus postquam e valetudinario exiisset, habebat ; quæ quidem, modo quem exposui, curata, post dies

quatuordecem decesset. Per plures post menses hic homo Edinburgi mansit, nec ullo ex his affectibus iterum vexatus fuit; dein optima valetudine fruens, ad cohortem suum contendit.

De Periostitide.

Periostii inflammatio aliquando indicium totius corporis syphilidi infecti est; maxime in osse frontis, in ossibus parietalibus, sterno, humero, clavicula, tibia aut osse occipitis incidit, eamque obtusi et etiam acuti vagique dolores, qui intermittent, comitantur aut antecedunt.

Hoc tamen vitium minime perpetuo ex syphilide oritur; homines enim idiopathice infestat; eos tamen sæpius, in quibus diathesis strumosa est; et verum est quod Doctor Crampton dicit: "It often occupies the seat of true venereal node, from which it can only be distinguished by an accurate investigation of all the circumstances of the case *."

Quoties ab infectione syphilitico oritur, longior est quod ad ejus naturam attinet, quam cum

---

* Vide Dublin Hospital Reports for 1817.

idiopathice urget, nec remedia tam valida desiderat, quam ea quæ Doctor CRAMPTON, in hac vitii forma, utenda monet. Antimonii præparata et diaphoretica anodyna, balneo calido subinde adhibito, salutaria in hoc vitio videntur; at maximum commodum, ut apparet, affertur epispasticis iterum iterumque parti affectæ impositis, ægro in plane cubante, et diæta miti nutriente et antephlogistica utente.

In uno tantum exemplo hoc vitium super processum dextri lateris superciliarem visum est, simul cum eruptione pustulari quæ vitia ulcus latum minime altum a parte penis exteriore, in quo non erant veræ syphilidis notæ, secuta sunt.

Hæc indicia quadraginta diebus et duobus post sanatum ulcus accesserunt; nodus quadraginta octo, atque eruptio sexaginta dierum spatio, curatione supra explicata, sublata fuerunt; sed quinquaginta elapsis diebus, ægrotans iterum eruptione pustulari occupatus est, quæ post dies viginti decessit.

Ex his ægris qui hac ratione curati fuerunt, centum quinquaginta duo pro annorum sex spatio,

nulla hujus morbi sequela vexabantur, et hoc tempore officiis suis perfunguntur.

In hac urbe, post curatos fuisse, ultra menses duodecim manserunt octodecim, et haud vitii signis affecti fuerunt.

Indicia secundaria, quibus hujus morbi post Hydrargyri usum (severitate excepta) similia, novemdecim ægros hac ratione tractatos vexabant, qui per aliquot menses post eorum curationem citra Hydrargyrum ab omni morbi signo exempti, ad cohortos varios expediti fuerunt.

Cætera in diversis cœlis expediebantur, et ob hanc causam, de eorum conditione nulla facile obteniri potest notitia, sed per aliquod tempus ante eos expeditos fuisse, omni morbi vestigio caruerunt.

PERORATIO.

Quum jam totam syphilidis antiphlogisticam curationem percurrissem, liceat pauca disserere de hujus rationis utilitatibus cum iis Hydrargyri ope curationis comparatis.

Et primo de iis in affectibus primariis; ulcera non plerumque ad phagedænam tendunt, sed contra breviori temporis spatio medelam suscipiunt.

Bubones, comparatione instituta, rarius post curationem inceptam incidunt, et ubi incidunt, minus trahuntur, quippe quæ aut facilius discutiendæ sunt, vel si res in pus abit, citius sanescunt; dum neque phagedæna neque sinus moram faciunt.

Quod ad affectus secundarios attinet; quanquam hi plures pro rata parte ex hac oriuntur quam ex altera medendi ratione, hi tamen affectus tanto leniores et sanatu faciliores sunt, ut, ni æquitas jussisset omnia ponere, quæ minima quidem parte ad hanc inquisitionem spectarint, multa ex eruptionibus et faucium vitiis vix digna essent quæ memorentur, nec pro syphilidis affectibus in corpore haberentur.

Quanquam perspicuitatis causa non in exemplis ducentos triginta novem nisi ea amplexus sum, in quibus, nullo aut effectuum primariorum aut secundariorum tempore, hydrargyrus adhibitus fuit, tamen notum volo novemdecem præte-

rea exempla primariorum vitiorum, et secundariorum decem, (et posterioris generis morbus in aliquot gravis erat), in quibus hydrargyrus ante in aliis valetudinariis datus fuerat, aut effectus primarios aut secundarios aut utrosque submovendi causa, ad valetudinarium in Castra Edinensi quod *Detachment Hospital* dicitur, advecta esse, et ibi ad sanitatem perducta, nullo hydrargyro usurpato postquam in id recepta fuerant.

Affectus syphiliticos submoveri et sanari, modo jam exposito, posse, nemo, ut opinor, qui aut eundem vident aut inivit, dubitare potest; sunt tamen qui eum incusant quasi nihil proficientem, aut effectus calamitosos afferentem.

Alii sunt qui contendunt malum quod hodie incidit, mitioris generis esse quam id quod a veterioribus auctoribus describitur, affirmantque ejus naturam post id tempus penitus mutatam esse.

Major vero pars eorum qui neque eum viderunt, neque exsequuti sunt, arbitrantur tutissime ire medios inter nullum et nimium hydrargyri usum, et quamquam non negant perniciosos effectus sæpe alieno ejus usu oriri, præcipiunt tamen

modicam remedii copiam assumendam esse, quo totum corpus ab infectione tutius existat.

In has opiniones diversas non descendere volo; dicendum tamen est, plurimum utraque parte proferri posse. Fatendum est quoque, morbi naturam, effectus ejus in corpore, et modum operandi quod dicunt remediorum, quæ ad eam sanandam prolatæ sunt, adhuc latere, atque experientia haud parva, rerum inquisitione diligenti, et ab iis plurimis inductione cauta, magnopere opus esse, ut aliquid justi rectique de his rebus colligatur.

Controversia quæ mota est, an omne ulceris genitalium genus sine hydrargyro ope sanari possit, si ex experientia quinque annorum judicare licet, jam ut opinor dirimitur. Utrum necne hæc curatio expediat secundum aliorum sententias adhuc in medio est, ad quem litem componendum majores temporis experientia opus est.

Quanti momenti res sit de qua supra dixi, quantum ad in medendi usum attinet, negari non fas est; quoniam in iis syphilidis exemplis, aut in ulceribus genitalium quæ a syphilide oriri putantur, quæ in hominibus maxime strumosis, aut ad phthisin proclivibus, aut eadem implicitis,

occurrunt, ubi hydrargyrus maxime alienus est, commoda curationis generis hic expositi plane magna sunt.

Utrum in his qui sine hydrargyro curati sint, effectus, quod ad severitatem, pares iis qui aliquando observantur post hydrargyri usum, et an citius vel tardius superveniebant, adhuc non constat; sed donec satis evincetur tales effectus post curationis viam jam memoratam afferri, meum nomen inter eos volo positum qui pro hac medendi ratione stant.

"Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quoddammodo inter diversas sententias; quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus, ut in hac ipsa re.

* * * * * *

Verumque est, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam."

Celsus, de Medicina, Lib. 1. Præfatio.

FINIS.

GENERAL TABLE, exhibiting the Number and Nature of Primary and Secondary Syphilitic Affections, treated without the Exhibition of Mercury, between the Months of December 1816 and December 1821.

Primary Affections.						Buboes Supervening.									Secondary Affections following in			General Description of Secondary Affections.							
General Division and Description of Cases, according to their characters.	Treated in the Hospital of the 71st Regiment.	Treated in Detachment Hospital, Edinburgh.	Ulcers only.	Ulcers conjoined with Buboes.	Total Cases.	Before admission into Hospital.	After admission into Hospital.	Total.	Single Buboes.	Single Buboes terminating in Resolution.	Single Buboes terminating in Ulceration.	Buboes in each Groin.	Of which Buboes terminated by Resolution.	Of which Buboes terminated in Ulceration.	Ulcers only.	Ulcers conjoined with Buboes.	Total.	Erythematic Inflammation of Fauces, with Eruption of Skin.	Aphthous Affection of Throat, with Eruption of Skin.	Aphthous Affection of Throat, without Eruption of Skin.	Eruptions of the Skin, without Affections of Throat.	Iritis, with Eruption of Skin.	Periostitis, with Eruption of Skin.	Total.	Proportion of Secondary Symptoms to Primary Affections.
Affections possessing most of the characters which are usually considered to be those of true Syphilis - -	6	45	23	28	51	26	2	28	21	12	9	7	2	5	1	3	4	2	—	1	1	—	—	4	1 in 12¾
Affections of various kinds, possessing fewer of the characters considered to be those of true Syphilis - -	66	122	113	75	188	69	6	75	62	42	20	13	5	8	8	7	15	6	1	—	6	1	1	15	1 in $12\frac{4}{6}$
Total	72	167	136	103	239	95	8	103	83	54	29	20	7	13	9	10	19	8	1	1	7	1	1	19	1 in 13

TABLE SECOND, showing the time required for the Cure of Primary Affections possessing most of the Characters which are usually considered to be those of true Syphilis.

	Cases of Ulcers on the Penis, without Buboes.		Cases of Ulcers with Buboes terminating by Resolution.								Cases of Ulcers with Buboes terminating in Ulceration.								
			Ulcers with Single Buboes.				Ulcers with Buboes in each Groin.				Ulcers with Single Buboes.				Ulcers with Buboes in each Groin.				
			Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		
	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in discussing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in discussing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	
	1	8	1	7	2	7	1	13	1	7	1	10	1	14	1	18	1 { 1	13	
	2	16	2	10	4	15	1	42	1	13	1	12	1	18	1	21	1	24	
	2	17	1	13	2	18					1	14	1	21	2	30	1 { 1	28	
	2	19	2	17	1	19					1	15	1	24	1	49	1	35	
	2	20	1	19	1	21					1	16	1	27			1 { 1	50	
	3	21	3	21	1	30					1	17	1	35			1	54	
	2	22	1	29	1	32					1	21	1	40			1 { 1	60	
	1	24	1	30							1	25	1	44			1	10[1]	[1] terminated by resolution in ten days.
	1	26									1	28	1	49			1 { 1	30	
	1	27															1	10[2]	[2] terminated by resolution in ten days.
	2	34																	
	1	35																	
	1	36																	
	1	42																	
	1	45																	
Total	23		12		12		2		2		9		9		5		5		

TABLE THIRD, showing the Time required for the Cure of Primary Affections, possessing fewer of the Characters usually considered to be those of true Syphilis.

	Cases of Ulcers on the Penis, without Buboes.		Cases of Ulcers with Buboes terminating by Resolution.								Cases of Ulcers with Buboes terminating in Ulceration.								
			Ulcers with Single Buboes.				Ulcers with Buboes in each Groin.				Ulcers with Single Buboes.				Ulcers with Buboes in each Groin.				
			Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		Cases of Ulcers.		Cases of Buboes.		
	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in discussing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in discussing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in healing.	
	2	7	2	7	1	3	1	10	3	7	1	5	2	20	1	7	1 {1	46	
	7	8	1	8	1	5	1	13	1	14	1	9	1	22	2	10	1	46	
	7	9	3	9	1	6	1	16	1	17	1	10	1	27	2	14	1 {1	23	
	9	10	3	10	1	7	1	19			1	12	2	30	1	20	1	31	
	4	12	3	12	4	8	1	45			2	15	1	32	1	21	1 {1	24	
	2	13	4	13	1	9					1	16	1	34	1	28	1	24	
	6	14	3	14	4	10					2	17	1	35			1 {1	56	
	5	15	4	15	4	15					2	18	1	36			1	56	
	8	16	2	17	6	16					2	21	1	40			1 {1	35	
	6	19	1	18	2	17					1	28	1	42			1	39	
	9	21	3	19	2	21					1	32	1	46			1 {1	60	
	8	22	4	20	3	24					1	35	1	47			1	60	
	3	24	3	21	3	26					1	41	1	55			1 {1	90	
	8	28	2	28	1	28					1	42	1	57			1	90	
	5	31	1	31	4	30					1	66	1	65			1 {1	52	
	4	35	1	36	1	31					1	78	1	70			1	10[1]	[1] terminated by resolution in ten days.
	4	36	1	43	2	33													
	2	37	1	60	1	42													
	2	38																	
	4	44																	
	3	45																	
	2	50																	
	1	55																	
	1	60																	
	1	72																	
Total	113		42		42		5		5		20		20		8		8		

TABLE FOURTH, showing the Nature of Secondary and Primary Affections to which they succeeded, and the time which was necessary for their removal.

General Description of the Primary Affections to which Secondary Symptoms Supervened.	Form of the Primary Affections, and the time necessary for their removal. — Cases of Ulcers, with and without Buboes.		Cases of Buboes in one groin.		Cases of Buboes in both groins.		Form of Secondary Affections, and time necessary for their removal required. — Affections of the Throat.					Affections of the Skin in the form of								Iritis.			Periostitis.		
	No.	No. of days in healing.	No.	No. of days in discussing and healing.	No.	No. of days in discussing and healing.	Erythematic inflammation of the throat, with eruption of skin.	Erythematic inflammation of throat, without eruption of skin.	Aphthous affection of throat, without affection of skin.	Period of occurrence after cure of primary symptoms.	Time required for their removal.	Strophulus confertus	Lichen.	Roseola.	Ecthyma.	Varioloidæ.	Tubercula Batemanii.	Time of their occurrence after the cure of primary symptoms.	Time required for their removal.	Iritis, with varioloid eruption.	Time of occurrence after removal of primary symptoms.	Time required for its removal.	Periostitis, with varioloid eruption.	Time of occurrence after removal of primary symptoms.	Time required for its removal.
Affections possessing most of the characters of true syphilis.	Without buboes. 1	18	—	—	—	—	1	—	—	coexistent -	Days. 21	—	—	—	1	—	—	coexist.	Days. 21						
	with B. 1	42	—	—	1 R	13	1	—	—	*Idem*	23	—	—	—	—	—	1	*Idem.*	23 do.						
	1	25	—	—	1 R	44	—	—	1	—	28	—	—	—	—	—	—	—	—						
	1	30	—	—	1 S	54	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	28	33						
Affections of various kinds, possessing fewer of the characters usually considered to be those of true syphilis.	Without buboes. 1	13	—	—	—	—	1	—	—	51	19	—	—	1	—	—	—	46	31						
	1	14	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	46	140						
	1	19	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	20	28						
	1	21	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	54	42	1	77	26			
	1	21	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	coexist.	21						
	1	24	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	42	60	—	—	—	1	42	48
	1	25	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	coexist.	25						
	1	18	—	—	—	—	1	—	—	25	20	—	1	—	—	—	—	26	18						
	with B. 1	60	1 R	16	—	—	1	—	—	coexist.	36	1	—	—	—	—	—	coexist.	36						
	1	10	1 R	17	—	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	25	25						
	1	28	1 S	32	—	—	—	—	1	40	30	—	—	—	—	—	—	—	—						
	1	45	—	—	1 R	7	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	42	21						
	1	14	—	—	1 S	24	1	—	—	coexist.	14	—	—	1	—	—	—	coexist.	16						
	1	21	—	—	1 S	31	1	—	—	*Id.*	14	1	—	—	—	—	—	*Id.*	22						
	1	28	—	—	1 S	46	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	25	25						
Total	19		3		7		8		2			2	4	3	3	2	3			1			1		

Note.—The letter R denotes, that the buboes in these cases terminated by Resolution; the letter S denotes, that in these cases the buboes terminated in Suppuration. Coexistent denotes, that these several affections were coexistent with the primary disease.

TABLE FIFTH, showing the Maximum, Minimum, and Average Period of Time necessary for the Removal of each Species of Primary and Secondary Affections of Syphilis, without the Use of Mercury.

General Description of the Species.		PRIMARY AFFECTIONS.											SECONDARY AFFECTIONS.					
		Ulcers, without being conjoined with Buboes.	Ulcers, with and without Buboes conjoined.	Buboes terminating by Resolution, and in Ulceration.	Ulcers conjoined with Buboes terminating by Resolution.				Ulcers conjoined with Buboes terminating in Ulceration.				Affections of the Fauces.		Affections of the Skin.		Affections of the Skin and Fauces combined.	
					Ulcers with one Bubo.		Ulcers with Bubo in each groin.		Ulcers with one Bubo.		Ulcers with Bubo in each groin.		Period of occurrence after removal of the Primary Affection.	In what No. of Days removed.	Period of occurrence after removal of Primary Affection.	In what No. of Days removed.	Period of occurrence after removal of Primary Symptoms.	In what No. of Days removed.
					Ulcers.	Buboes.	Ulcers.	Buboes.	Ulcers.	Buboes.	Ulcers.	Buboes.						
	Time.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.	No. of Days.						
Affections possessing most of the characters of true Syphilis.	Maximum	45	49	60	30	32	42	13	28	49	49	60	28	28	28	33	28	33
	Minimum	8	7	7	7	7	13	7	10	14	18	13	2 cases coexisting.	21	2 cases coexisting.	21	4 cases coexisting.	21
	Average	24.2	21.7	26.6	17.6	16.4	27.5	10	17.1	29.7	23.6	36.6		28		25		24.2
Affections possessing fewer of the characters of true Syphilis.	Maximum	72	78	90	60	42	45	17	78	70	28	90	51	36	54	140	54	140
	Minimum	7	3	3	7	3	10	7	5	20	7	23	3 cases coexisting.	14	5 cases coexisting.	16	8 cases coexisting.	14
	Average	21.8	20.2	22.9	15.3	18	20.6	10.4	24.4	35.1	17.1	40.6	38	23.6	36.2	31.4	34.8	30.1
The above two Species of Affections combined.	Maximum	72	78	90	60	42	45	17	78	70	49	90	51	36	54	140	54	140
	Minimum	7	3	3	7	3	10	7	5	14	7	13	5 cases coexisting.	14	7 cases coexisting.	16	12 cases coexisting.	16
	Average	22.2	20.2	23.4	15.8	19.4	22.6	10.1	22.1	33.6	19.8	39.4	36	22	35	30	33.6	26.5